



109

16

1a

2.

3.

4.

4.

5.

6.

7.

8.



1695.

1. Beyerus, Georgius: De jure advocandi civis  
et incolas. 2. Frankfurt. 1695. 1725.

2. Carpzovius, Dr. Benedictus: De jure decidendi  
controversias theologicas.

3. Cortrejus, Eusebius Ludovicus: Interpretatio loci. pot.  
jus. Constitutionis Imp., nobiliores III. C. de commerc.  
et mercator. de mercimonio civitatibus permissis.

4. Cortrejus, Eusebius Ludovicus: Interpretatio hist. p. q.  
legalis Cap. auctoritate Martini Papae VIII de cens.  
prebend. in bto: de gratia expectativa et bene-  
ficio ecclesiasticis in clausula ante ferri.

5. Frauenthoff, Dr. Christoph: De testibus pubertati proximis

6. Marggraf, Michael Sive Sall: De elemosyna.

7. Menckerus, Joh. Burckhard: De eo, quod decorum est

8. Menckerus, Ludovicus: De conventionibus cum praeb.

dos carnis fortuitos.

1695

9. Mylius, Andreas: De exceptione domus in act. Paulus  
notat. per. et. l. Publiciana actio fin. de Publ. in rem  
actione
10. Uellolius, Joh. Tritorius: De sensibus externis in  
specie de lactu
11. Rechenberg, L. Adamus: De innocencia in audito religio
12. Rechenberg, L. Adamus: An cogitatio regio, qus sit ~~religio~~
13. Rechenberg, L. Adamus: De offensio Civis Antiani  
erga principem.
14. Roemerus, Andrus Christophorus: De praescriptione juris  
negativi.
15. Schieferdecker, Johann David: De triumphis et ora-  
tionibus Romanorum.
16. Schreterus, Christophorus: Utina compensatio inter  
res diversi generis, si adstantenda
17. Tottius, Gottlob Gerhard: De jure metallorum

1695

18 Titius, Gollmb Perhardt: De officio sermo ci-  
nantium ex jurisprudentia universali

19. Weidlingus, Chris. Thom.: De jure majestatis regis Ro-  
manorum.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





1695, 10 119

Q. D. B. V.

DISSERTATIO

De

SENSIBUS EXTERNIS,

in specie de

TACTU.

*Consensu Gratosiss. Facult. Med.*

ad d. IX. Martii, Anno M DC XCV.

*In Auditorio Med. H. III. pomerid.*

*ventilanda proponitur*

PRÆSIDE

D. JOH. FRIDERICO ORTLOBIO,

P.P. extraord. & Facult. Med. Assess.

⁊

RESPONDENTE

JOH. BENJAMIN GLADO,  
Custrinens. March.

L I P S I Æ,

Literis JOH. HEINRICI RICHTERI.

1695






☉ ) ( ☉  
L. D. B. V.  
DISSERTATIO

De  
SENSIBUS EXTERNIS,  
in specie de  
TACTU.

§. I.

pecies sensationum exposituri ab externis ordimur. Sensus autem externi vocantur in animali, certi quidam ab objectis externis, ejus machinam viventem, per organa modificata, affiendi, & variè determinandi modi; in homine autem cognitiones, aut, si mavis, perceptiones, de rerum extra nos positarum variâ constitutione, à modo diverso nos affiendi desunt. Ex quibus apparet, sensum brutis, sed non univoce, cum homine, competere. Quoniam enim oculos, nares, aliaque organa possident, & ab objectis affiuntur, quis eadem videre, quis audire negaverit? At id ipsum cum eâ objecti consideratione, prout in homine, expediri, nisi cui nulla inter brutum & hominem differentia admittitur, nemo sanus asserat.

§. II. Etiam si enim in brutis cognitionem involvere videantur varii motus, qui ab illis instituuntur, & sese ad objecta referunt, ea averfando, aut desiderando: eos tamen non à cognitione procedere, sed pro singulari ipsorum organisatione à diversitate affiendi, & corporis automatici habitudine expediendi, ad analogiam rationis, adornari ex differt. præcedente patet. Id verò planè absurdum esse non poterit illi, qui antipathias & sympathias, inter res quoque non animatas, varias species penitus intuetur. Quippe dum magnes ferrum, non alia metalla, rapit; dum plantæ aliarum confinio quasi delectantur & virent, aliarum verò marcent, & destruuntur; quis non sensum subesse suspicetur? quem tamen nemo, nisi in physicis hospes, agnoverit. Nullo autem modo inficiamur, etiam inter illas sensationes, & animalium, ingens discrimen intercedere, & horum nobiliores esse. Inanimata merè passivè se habent, & tantum  
ab

DISSERTATIO

ab atmosphæræ, & meatuum suorum diversâ constitutione, & mutuâ habitudine variè determinantur, cùm animata aliquid activitatis involvant, & varii motus sequantur. Attamen id nemo miretur, cùm excellentior, & pluribus machinulis instructa, horum organisatio ampliorem agendi rationem declaret.

§. III. Quodsi ergo bruta sine cognitione objecti, homines cum illâ, sentire dicuntur, gradus excellentior sensationis his quoque præ illis tribui videtur? Ita omnino est. Duplex autem experientia obstare videtur. Altera, quòd bruta quædam homines potius sensationum quarundam excellentiâ antecellant, quatenus canes venatici, & vultures odoratu, aranea tactûs perceptione, lynx visu, aper auditu, simia gustu hominem superent. Altera, quòd quædam animalia pluribus sensationum speciebus homine gaudere videantur, ita quidem, ut alia tempestates quoque futuras præfagendi virtute polleant, quâ tantum non omnes homines destituuntur. Enimverò quemadmodum utrumque peculiarem tantum & aptiorem objectorum motus suscipiendi habitudinem demonstrat; ita etiam apparet organa sensoria in ejusmodi animalibus peculiariter quoque conformata esse, ut exquisitius affici possint, aut singularem, imò interdum individualement habitudinem in causâ esse: non verò cognitionem ea propter necessariò inferri.

§. IV. Sensus ergo potius nunc illos investigabimus, qui ab objectis extra nos constitutis, & actu nos afficientibus, atque præsentibus in homine excitantur, & externi dicuntur. Quod ut secundum omnes circumstantias distinctius assequamur, initium faciamus ab organo, quod in omni sensatione ejusmodi necessarium est, quo objectorum nos afficientium motus, & modi, pro diversa afficiendi ratione excipiantur. Est verò peculiaris cujusdam partis in corpore animalis conformatio, pro cujus diversâ habitudine objecta percipienda, sub variâ modificatione, recipiuntur, atque ad sensorium commune transmittuntur. Quoniam autem non unius generis objecta nos afficere solent, varia quoque organa, & singula peculiariter formata, esse oportuit. Ea etiam in superficie velut corporis locantur, ut objectorum, quæ nos ambiunt, activitati pateant,

DE SENSIBUS EXTERNIS, &C.

ant, & nervis gaudere debent, ut ad cerebrum impressi iisdem motus transportari queant.

§. V. Objecta antiquis physiologis, Peripateticis adhuc principiis imbutis, erant patibiles qualitates, aut species intentionales. Illæ reales dicebantur, & quæ in propinquum agerent, dum hæc ad distans potius operarentur, virtuales appellatæ, utrinque verò tanquam à corpore ipso distinctæ quædam affectiones considerabantur. At ex modernâ *Verulamii, Gassendi, Cartesii, Boylei*, plurimorumque aliorum doctrinâ, pro objectis sensoriis reputamus res corporeas, sive trinis dimensionibus constantes. Immateriale enim nullam ad organa nostra relationem habet, quemadmodum & ipsa corpora non absolutè, sed sub quâdam tantum congruitate alia sensibus subjiciuntur, alia iisdem cognosci & distingui nequeunt, aut, nisi ope quorundam instrumentorum, proportionata redduntur. Qualitates verò illæ, sive reales, sive virtuales, per quas nos afficiunt, non sunt nisi modi corporis, sive diversa ipsorum magnitudo, figura, superficies, motus, quies, situs, textura, &c. Pro earum enim varietate & diversis gradibus, variâ quoque afficiendi habitudine gaudent, quæ in modificato quodam motu aut impressione consistit, quâ organa percellunt. Ita tamen, ut semper contactus actualis requiratur, quamvis immediatus magis in qualitatibus realibus, at mediatus tantum per corpora interjecta, aut etiam quasdam duntaxat è corpore emanantes particulas, in virtualibus. Atque hinc etiam videbimus in tactu & gustu ipsa objecta; in olfactu effluvia ex iisdem emanantia, non integra objecta, organa contingere; dum in auditu & visione objecta plane cum organis non committuntur, sed medio opus est, cujus interventu illorum impressiones ad hæc continuari, & iisdem communicari valeant.

§. VI. At verò in organis non terminatur sensatio, quin motus, iisdem sub certâ modificatione impressi, ad sensorium commune deferri debeant, quatenus, nisi species impressæ eò pertingant, nulla perceptio est. Hoc cerebrum esse ex antecedentibus patet, num verò corpora striata præ aliis partibus determinationibus his excipiendis dicata sint, equeidem non determinaverim. Interim nec organa cum eodem immediatè cohærent, quòd medium quoque

que requiritur, quo impressi iisdem motus ad cerebrum transportentur. Nervos hinc videmus ab organis sensoriis omnibus, nunc immediatè, nunc mediatè, ad cerebrum protendi, iisque obstructis aut compressis, aut solutionem continui passis, sensationem frustrari. Verùm, non tam horum protensioni, quàm undulanti in illis fluido, id in acceptum referri debet, cum spiritus deferendorum motuum subjectum esse vel inde cognoscatur, quòd in spirituum inopiã, præsertim post morbos diuturnos, sensus omnes hebetiores esse soleant.

§. VII. Modus ergò sensuum externorum ut declarari possit, semper attendendum, quòmodo, objectis descriptis, & organis, illa in hæc agere, eaque afficere, soleant. In genere igitur notandum, in sensibus externis primò, objecta corporea, pro variã suã habitudine, certas quasdam motuum species imprimere: secundò, has ab organis ad excipiendum aptè constructis excipi, & à spiritibus intra nervos ad sensorium commune deferri, idque determinatè afficere, ut sic interdum quoque alias iterum determinationes corpori animali imprimat. Et in his brutorum fermè sensatio absolvitur, excellentior hominis est, quatenus tertio, ratio species oblatas excipit & cognoscit, assueta nimirum mens motus illos congruis ideis, aut enunciationibus saporum, odorum, colorum, &c. describit, variaque rerum extrase constitutarum phænomena intelligit. Etiam si enim hoc communiter sensus communis officium esse videatur, ad externos tamen, tanquam consummatio eorum, & sine quo sensus non forent sensus, pertinet. Nisi enim reflexio hæc accesserit audientes & videntes, nihilominus nec audimus, nec videmus. Et cui alii, quàm rationi debetur, quòd homo tantum visa aut audita pro sapidis & gratis habet, cum animalia bruta ipso contactu aut olfactu eorum affici debeant, quæ congrua ipsis esse solent.

§. VIII. Ejusmodi sensuum quinque in homine numerantur. Non, quòd plures esse nequeant, aut supervacanei forent, sed quòd hæcenus plura organa non inveniantur, aut à nobis quæsitã fuerint. Negandum tamen non est, eorum quosdam, e.g. tactum, aliquot velut species subalternas sub se comprehendere, atque sic sensum venereum ad eum quoque referri rectius,

rectius, quàm ut peculiarem sensûs classẽ constituere dicendus sit. Singulos in specie scrutabimur.

§. IX. A tactu initium fumemus, etiamsi communiter pro vilissimo habeatur, & ultimo loco venire soleat. Etenim nobilissimus potius omnium censei jure meretur. Mittam, quòd nullum animal tactu, quamvis aliis interdum sensibus, destituatur, sed ex ipsius potius universalitate probatio nascitur. Nimirum tactus sine reliquorum sensuum ministerio instituitur, imò aliis, visui imprimis, substituitur; at contra nullus sine tactu peragitur, ut omnes potius hujus certæ quædam species esse videantur. Imò quemadmodum pluralitate objectorum, quæ ab ipso cognoscuntur, reliquos sensus antecellit, ita quoque organum, quod in iis certæ cuidam parti alligatur, in hoc per totum ferè corporis habitum diffunditur. Imò tactus quoque alios sensus meritò antestat, quòd homini excellentior, quàm aliis animalibus, ejus usus concessus sit. Quantumlibet enim aranea exquisitiore tactu prædita credatur, quò irretitam telæ muscam mox observat, id tamen cum dignotione tam multiplicium objectorum nullatenus contingit.

§. X. Organum tactus quod attinet, in varias sententias discere solent physiologi. Quando alii membranas, alii carnem cum membranis, eidem muneri præficiunt. Si quidem membranæ quædam valde sensiles sint, uti ex periosteo, durâ & piâ matre, similibusque evidenter satis pateat; imò carnes quoque, tam in musculis, quàm in parenchymatibus, levissimo contactu afficiantur. Enimverò prout in hujus congruitate determinandâ variè inter se discrepant, ita pro tactus organo malè reputantur. Is quippe non est confusa dignotio, quòd afficiamur, sed distinctè varias afficientis condiciones declarat. Proinde quamvis non inficias eamus, membranas & carnes sensiles esse, i. e. si ab instrumento secante, pungente, urente, afficiantur, id à nobis persentisci, non tamen distinctam illam cognitionem, quam tactu nanciscimur, nobis exhibent. Hic ergo potius in cute residet, cujus laminas diversas differt. XVIII. delineavimus. At quemadmodum non negemus, has quoque suâ protensione, objectorum tactilium modum afficiendi variè moderari, ita quoque ex variâ corporum ad illam relatione sensationes oriri in propatulo est.

Papil-

DISSERTATIO

Papillæ tamen nerveæ, quas *Malpighii* solertia declaravit, primum, & præcipuè pro minutiis distinguendis instrumentum sunt. Hæ nervis continuæ ex inferiore strato emergunt, reticularem laminam perforant, & in cuticulam, at in varias fibrillas divisa, terminantur. Pyramidalem & peculiarem conformationem obtinent, ut in eâ præsertim aptitudinem objectorum, modos afficiendi, distinctè & modificatè excipiendi, quærere, atque sic velut turgidas, ut melius percelli valeant, concipere necessarium sit. Ne tamen vanâ nos conjecturâ argui quis arbitretur, id sententiam hanc corroborat, quòd ubi nullæ papillæ, nullus tactus, ubi verò inveniuntur, & copiosiores, atque eminentiores sunt, exquisitior ille sensus sit. Nimirum in homine in apicibus digitorum, quibus præ aliis magis in tactilibus qualitatibus explorandis utimur, in brutis autem in naribus, quibus ipsa potius adhibent, ex conspectiores, quàm in aliis partibus sunt. Maximè verò habitudinem hanc dilucidat, quòd cum nervis continuæ sint, adeoque objectorum motus ad sensorium commune transferre valeant.

§. XI. Objecta, quæ in tactu à nobis dignoscuntur, non semper sunt ipsa corpora, verùm quidam eorum modi, pro quorum diversitate differentem quoque perceptionem nobis exhibent. Scilicet tactu quidem exploramus, an quædam corpora adsint, quædam tamen e. gr. atomos in aëre volitantes tactu cognoscere non conceditur, illorum verò diversitatem ex resistentiâ, similibusque circumstantiis colligimus. Modi autem per tactum in corporibus explorandi sunt præsertim solidum & fluidum, contiguum & continuum, durum & molle, humidum & siccum, tenue & densum, asperum & læve, grave & leve, frigidum & calidum, &c. Solidum corpus dicitur, quando ejus partes, ut plurimum in continuo, quandoque tamen etiam divisim existentes, & contiguæ duntaxat, ita inter se uniuntur, aut firmissimè junguntur, ut nobis nullatenus cedant; dum fluidum audit, cujus partes vel levissimam à nobis determinationem suscipere, & minùs resistere solent. Contiguum est, cujus partes nullo inter se nexu junguntur, & vi externâ, quæ continet, remotâ, iterum dissolvi possunt: continuum autem, cujus partes ita inter se colligantur, ut non opus sit termino alieno, quo contineri debeant. Durum dicimus, quod ob partium arctam



DE SENSIBUS EXTERNIS, &c.

arctam combinationem cum quâdam rigiditate resistit; dum molle est, quod ex partibus eque connexis, flexibilibus tamen constat, & quæ cedere, non verò ad discontinuationem, soleant. Humidum est, cujus partes non modò fluidæ sunt, sed id simul peculiare habent, ut particulis flexibilibus & glabris gaudeant, ut poris tangentis se insinuent, superficiem tamen lubricam relinquant; at siccum, cujus partes, aut nullæ adhærent poris, aut quæ tangenti adhærent, rigidæ sint, & superficiem aliquatenus, plus minus tamen, exasperant. Tenue appellamus ex latitudinis & profunditatis parvitate; densum ex earum proportione auctâ, quamvis pro corporum diversitate easdè conditiones quandoquæ visu quoque explorare soleamus. Asperum dicitur, in cujus superficie particule constituentes ita locantur, ut aliæ cû rigiditate emineant, aliæ distinctis magis hiatibus deprimantur: læve verò ejusmodi partium textura est, quâ vel nullæ partes eminent, nullique hiatus manent, sed superficies æqualis magis deprehenditur; vel hiatus tanti non sunt, ut ad papillas illas se referre possint; vel quæ eminent partes, aut flexiles sint, ut componi possint, aut etiam ex rotundis magis eminentiis congerantur. Grave & leve hîc non intelligitur illa corporum reciproca tendentia, quâ alia deprimuntur, alia ascendunt, sed ea proportio, quâ hanc tensionem majorem aut minorem ad robur artuum nostrorum computamus, vel absolutè de uno tantum corpore, vel comparatè de pluribus, aliis plus, aliis minus id ipsum superantibus. Quemadmodum verò certâ ratione & motus & quietem corporum, quatenus aut resistunt, aut cedunt facilius, impellunt, aut non impellunt, tactu quoque exploramus; ita calor & frigus ad eundem referri valent. Tota enim qualitatuum harum natura relativa est, quatenus quæ alii calent, alii algere, & vice versâ, dicuntur. Sunt verò comparationes motuum corporis, quod nobis applicatur, vel in ejus minimis, vel subtiliorum corporum solidiorum poros trajicientium, ad motum nostri sanguinis & spirituum æquabiliter ad partes influentium, & ab iisdem refluentium. Si celerior sit nostris motibus, calidum dicimus, si remissior, aut nostræ agitationi magis resistens, frigidum appellamus. Et quia fermè secundum individua pluribus circumstantiis, motus in homine variant, non æqualis in omnibus relatio, non æqualis omnium sensatio esse potest.

§. XII, Ob-



DISSERTATIO DE SENSIBUS EXTERNIS, &c.

§. XII. Objecta ergo hæc pro diversis illis modis, è quibus præcipuos recensuimus, vel illam æquabilem cutis, durante vitâ, protensionem, vel distinctius fibrillas nerveas diversâ ratione afficiunt. Spirituum ergo pro diversâ impressione varia quoque ad cerebrum undulatio est, & sic pariter, prout sensorium diversâ ratione afficit, aut commovet, vel determinaciones novæ corpori inducuntur, vel mens nostra motus illos conveniente denominatione, affirmatione aut negatione, &c. excipit. Interim quis non videt, objectorum & organi quandam proportionem esse, secundum quam alia sensibus nostris subjiciantur, alia non item. Imò ex eo apparet quoque, per sensus non ipsam rerum essentiam, quam certos tantum & relativos nos afficiendi modos, exhiberi, adeoque nisi ratio accesserit, infidum eorum testimonium esse.







Leipzig, Diss., 1695 (1)


ULB Halle 3  
001 859 536




56.

ND 17







1695, 10 11

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO  
De  
**SENSIBUS EXTERNIS,**  
in specie de  
**TACTU.**

*Consensu Gratosiss. Facult. Med.*

ad d. IX. Martii, Anno M DC XCV.

*In Auditorio Med. H. III. pomerid.*

*venilanda proponitur*

PRÆSIDE

**D. JOH. FRIDERICO ORTLOBIO,**

P.P. extraord. & Facult. Med. Assess.

&

RESPONDENTE

**JOH. BENJAMIN GLADO,**  
Custrinens. March.

L I P S I Æ,

Literis JOH. HEINRICI RICHTERI.

1695

